

5. Item, unitas causa est identitatis. Sed Pater et Filius non dicuntur idem principium Spiritus sancti. Ergo nec unum.

Contra, sicut supra habitum est (art. praeced. ex Ansel.), in omnibus Pater et Filius unum sunt, in quibus non distinguitur relationis oppositio, et in quibus hoc de illo dicitur. Sed Filius est principium de principio. Ergo Pater et Filius sunt unum principium.

Praeterea, unius rei unum est principium. Sed Spiritus sanctus est unus. Ergo unum: ejus est principium.

Solutio. Respondeo dicendum, quod secundum omnes, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, qui Spiritum sanctum ab utroque confitentur procedere. Sed circa hoc qualiter dicatur, sunt diversae opiniones.

Quidam enim dicunt, quod unum non designat nisi unitatem proportionis; quia sicut se habet Pater ad Spiritum sanctum ut spirans, ita et Filius. Sed istud non sufficit; quia secundum unitatem proportionis etiam conveniunt Pater et Filius in ratione suppositi; et tamen non dicimus eos esse unum suppositum.

Et ideo alii dicunt, quod unum dicit unitatem naturae: qui videtur imitari auctoritate Anselmi, qui dicit (de processione Spiritus sancti, cap. 13), quod Pater et Filius spirant Spiritum sanctum, inquantum uterque eorum est Deus. Sed nisi aliquid plus dicant, ab unitate principii notionaliter dicit non excluderetur Spiritus sanctus, qui non excluditur ab unitate naturae.

Et ideo alii dicunt, quod unum dicit unitatem notionis; et istud videtur esse conveniens; quia in substantiis nominibus unitas et pluralitas attenditur secundum unitatem et pluralitatem formae significatae; unde dicimus, Unus Deus, propter unitatem divinae naturae. Forma autem quam significat hoc nomen principium, secundum quod personaliter sumitur, est ipsa notio vel proprietates, sicut hoc nomen Pater significat paternitatem. Unde ad unitatem notionis sequitur unitas principii. Potest nihilominus dici, ut salvetur dictum Anselmi, quod significat unitatem in potentia spirativa, quae dicit naturam divinam sub ratione talis proprietatis, quae est principium operationis personalis, ut supra dictum est, dist. 11, qu. 1, art. 2 et 3.

Ad primum igitur dicendum, quod ista divisio: Aut sunt unum quod est Pater, aut sunt unum quod non est Pater, non est per contradictoria; unde utraque falsa est. Sed haec est vera: Non sunt unum quod est Pater tantum; sed sunt unum quod est Pater et Filius; sicut sunt etiam unus Deus, qui est Pater et Filius.

Ad secundum dicendum, quod quamvis dicantur unum principium Spiritus sancti, non tamen dicuntur unus spirans vel unus spirator: quia huiusmodi distinctiones imponuntur ab actibus, qui semper significant ut adiacenter, et in talibus non attenditur in consignando (1) pluralitatem pluralitatis formae significatae, sed suppositorum, ut supra dictum est, 16 dist., qu. 1, art. 4. Sed de creatione non est similis ratio ac de spiratione: quia spiratio praerogativam distinctionem in suppositis; unde est aliquo modo a pluribus suppositis inquantum distincta sunt,

(1) An. consiſſificando.

com sit operatio personalis; sed creatio est opus essentiae divinae; unde est opus suppositi indistincti, prout essentia significatur id quod est, ut hoc nomen Deus; et ideo sicut Pater et Filius dicuntur unum, quod est unus Deus, ita et unus creator; non tamen creans unus, quia participium est adjectivum.

Ad tertium dicendum, quod non conceditur communiter, quod sint idem principium; quia ratione articulationis includitur unitas suppositi: sicut etiam supra, Magister dicit, quod Deus non genuit se Deum, nec alium Deum. Quidam tamen dicunt, quod Filius et Pater sunt idem Deus, et sunt idem principium, eo quod ly idem est adjectivum, et non ponit identitatem absolutam, sed respectu ejus cui adiungitur; et secundum hoc potest concedi, quod sunt idem principium.

Expositio textus.

Pater est principium totius Deitatis. Videtur esse falsum: quia ut Divinitas sumitur pro essentia divina, aut pro personis. Si pro personis, sic non est principium totius Divinitatis, id est omnium personarum, cum non sit principium sui ipsius. Si pro essentia, videtur falsum, quia non est principium essentiae. Et praeterea totalitas exigit aliquam distinctionem in partibus; in essentia autem nulla est distinctio.

Respondeo dicendum, quod utroque modo accipi potest. Si enim accipiatur pro essentia, tunc totum non dicit integritatem partium, sed perfectionem naturae; et dicitur esse principium totius Divinitatis, non quia Deitatem generet vel spiret; sed quia Divinitatem, generando vel spirando, communicat; ut sit sensus: Est principium Divinitatis, id est ut Deitas habeatur. Sed sic etiam Filius posset dici principium Divinitatis totius, quia ab ipso perfecta Divinitas est in Spiritu sancto, nisi pro tanto quod non secundum omnem modum quo communicabilis est, et quia non per generationem. Si autem sumatur pro universitate personarum, tunc planius est; quia sic dicitur principium totius Divinitatis, inquantum in omnibus personis divinis ipse est quasi principium a quo aliae personae fluunt, sicut punctum dicitur principium totius lineae, quamvis sui ipsius principium non sit. Vel, si melius dicitur, Divinitatis. Pro tanto melius, quia Deitas dicitur a Deo, quod significat per se et essentialiter Divinitatem habentem; sed Divinitas dicitur a divino, quod est denominativum; unde potest etiam participatio Divinitatis significare, secundum etiam quod dicitur perpetuis specierum a Philosopho (1) divinum esse. Unde ad singularitatem excellentiae designandam, magis competit nomen Divinitatis quam Deitatis.

Omnes naturas, id est omnes substantias; et quae naturaliter sunt, id est proprietates et operationes naturales.

Constat Filius originem ab initio. Vult dicere, quod origo Filii est a principio vel initio, quia a Patre. Sed quia initium potest intelligi etiam de principio durationis, ideo ad excludendum falsum intellectum subjungit: Non ipsum ab initio, scilicet

(1) Ad marginem edit. Venetae ann. 1395, lib. 2 de Annu. text. 35, ut habet Averroes.

durationis, sed ab initiabili (1), id est principio initiativo, scilicet Patre; unde subjungit: Quomodo

(1) Vide notam ad textum.

DISTINCTIO XXX.

De his quae temporaliter de Deo dicuntur, et relative secundum accidens quod non Deo sed creaturis accidit.

Sunt enim quaedam quae ex tempore de Deo dicuntur, eique temporaliter conveniunt sine sui mutatione, et relative dicuntur secundum accidens, non Deo sed creaturis accidit. Sed quod accidit creaturis, ut creator, dominus, refugium, datum, vel donatum, et huiusmodi. De his Augustinus (in lib. 3 de Trin., cap. 13) ait: « Creator relative dicitur ad creaturam, sicut dominus ad servum. » Item non aliquem movet, quod Spiritus sanctus, cum sit coaeternus Patri et Filio, dicitur tamen aliquid ex tempore, veluti hoc ipsum quod donatum diximus. Nam sempiternus Spiritus sanctus est donum, temporaliter autem donatum. Et si dominus non dicitur nisi cum habere incipit servum, etiam ista appellatio relativa ex tempore est Deo. Non enim sempiterna creatura est, cuius ille dominus est. Ergo dominum esse non sempiternum habet, ne cogatur etiam creaturam sempiternam dicere: quia ille sempiternus non dominatur, nisi etiam ista sempiternae famuletur. Sicut autem non potest esse servus qui non habet dominum; sic nec dominus qui non habet servum.

Oppositio, quod non ex tempore sit Dominus, quia est Dominus temporis, quod non est ex tempore.

Sed hic aliquis dicit, quod non ex tempore competit Deo haec appellatio quia dicitur dominus, quia non est tantum dominus rerum quae ex tempore cooperunt, sed etiam illius rei quae non coepit ex tempore, id est ipsius temporis, quod non coepit ex tempore, quia non erat tempus antequam inciperet; et ideo non coepit esse dominus ex tempore. Ad quod dicitur potest, quia licet non coepit ex tempore dominus esse temporis, coepit tamen esse dominus temporis, quia non semper fuit tempus; et ipsius hominis ex tempore coepit esse dominus. De hoc Augustinus in eodem lib. continue (cap. 16), ita ait: « Quisquis extiterit qui aeternum Deum solum dicat, tempora vero non esse aeterna propter varietatem et mutabilitatem; sed tamen ipsa tempora non in tempore esse coepisse, quia non erat tempus antequam tempora inciperent; et ideo non in tempore acciderit Deo ut dominus esset, quia ipsorum temporum Dominus erat, quae utique non in tempore esse coeperunt: quid respondebunt de homine, qui in tempore factus est, cuius utique dominus non erat antequam esset? Certe ut dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo. Et ut omnis amoretur controversia, certe ut tuus dominus esset vel meus, qui modo esse coepimus, ex tempore habuit. Quomodo ergo obtinebimus, nihil secundum accidens dici Deum, nisi quia ipse naturae nihil accidit quod mutetur? ut ea sint accidentia relativa quae cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt; sicut amicus relative dicitur: non enim amicus esse incipit nisi cum amare coeperit. Et ergo aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicitur. Nummus vero

Divisio textus.

Ostendo quod principium respectu creaturae dicitur de Deo ex tempore, consequenter ostendit qualiter aliquid de Deo ex tempore dici possit; et dividitur in partes duas: in prima ostendit aliquid de Deo dici ex tempore; in secunda ostendit modum quo ista de Deo dicuntur, ibi: Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici Deum,

Filius non est per seipsum, id est a seipso; quia, sicut infra habebitur, ita est Filius per se, quod non a se, sed a Patre; et subjungit etiam de aeternitate ipsius etc.

non dicitur pretium, relative dicitur; nec tamen mutatus est cum esse coeperit pretium, nec cum dicitur pignus et huiusmodi. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relative, ut neque cum incipit dici nec cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma quae nummus est, mutationis facti quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, quod ita dicitur relative aliquid ad creaturam, ut quomvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiae Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturae ad quam dicitur? Qualiter etiam refugium nostrum dicitur: refugium enim nostrum dicitur Deus relative, ad nos enim refertur; et tunc refugium nostrum fit, cum ad eum refugimus. Nonquid tunc sit aliquid in ejus natura quod antequam refugeremus ad eum, non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio, qui ad eum refugiendo, efficimur meliores; in illo autem nulla. Sic et pater noster esse incipit, cum per ejus gratiam regeneramur, qui dedit nobis potestatem filios Dei fieri. Substantia ergo nostra mutatur in melius, cum illi ejus efficimur. Similiter et ille pater noster esse incipit, sed nulla sunt commutatione substantiae. Quod ergo tempore ralter dici incipit Deus quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici, non tamen secundum accidens Dei, quod aliquid ei acciderit, sed plane secundum accidens ejus ad quod dicit aliquid Deus incipit relative. Ex his aperte ostenditur, quod quaedam de Deo temporaliter dicuntur relative ad creaturas, sine mutatione Deitatis; sed non sine mutatione creaturae; et ita accidens est in creatura, non in Creatore; et appellatio quae creatura dicitur relative ad Creatorem, relativa est, et relationem notat quae est in ipsa creatura. Appellatio vero illa quae Creator relative dicitur ad creaturam, relativa quidem est, sed nullam notat relationem quae sit in Creatore.

Hic solvitur quaestio quae quaerebatur, utrum Spiritus sanctus dicatur datum relative ad se, cum ipse det se.

Hic potest solvi quaestio superius (dist. 18) proposita, ubi quaerebatur, cum Spiritus sanctus datum dicitur vel donatum (quod autem datur, refertur ad eum qui dat et ad illum cui datur) et cum Spiritus sanctus det seipsum, utrum ad seipsum relative dicitur, cum dicitur dari vel donari. Cui quaestioni respondentes dicimus, Spiritum sanctum dici datum vel donatum relative et ad dantem et ad illum cui datur. Dans autem sive donator, est Pater cum Filio et Spiritu sancto: nec tamen dicimus Spiritum sanctum refertur ad se; sed appellatio dati vel donati refertur ad dantem et ad recipientem: quia non potest aliquid dici datum, nisi ab aliquo et alicui datur. Cum autem Spiritus sanctus dari a se vel datus a se dicitur; relative quidem dicitur ad illum cui datur; et est appellatio relativa; et in illo cui datur mutatio fit, non in dante.

nisi quia ipsius naturae nihil accidit quod mutetur? Circa primum duo faci: primo ostendit veritatem; secundo excludit objectionem, ibi: Sed hic aliquis dicit, quod non ex tempore competit Deo haec appellatio.

Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici Deum? Hic ostendit modum qualiter ista de Deo dicuntur; et circa hoc duo faci: primo ostendit modum, quia scilicet dicuntur de ipso sine

sui mutatione, et sine aliqua reali habitudine; sed quod solum nomen est relativum; secundo ex modo determinato solvit quamdam questionem quam supra, 18 dist., reliquerat insolutam, ibi: *Hic potest solvi questio superius proposita.*

QUAESTIO I.

Hic tria quaeruntur: 1.^o utrum aliquid de Deo ex tempore dicatur; 2.^o utrum ista significant essentiam divinam; 3.^o utrum illa nomina relativa ponant aliquam relationem realiter in Deo existentem.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum aliquid dicatur de Deo ex tempore.
(1 p., qu. 13, art. 7.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod de Deo nihil ex tempore dicatur. De quo enim dicitur aliquid ex tempore, quod ante non dicebatur (1), potest dici esse factum illud; sicut homo dicitur esse factus albus, si prius non dicebatur vere de eo quod esset albus. Sed fieri nullo modo competit Deo, sicut nec mutari, cum sit primum movens. Ergo videtur quod nihil in Deo ex tempore dicatur.

2. Praeterea, quod praedicatur de aliquo, aut dicitur de eo per se, aut per accidens. Sed ista non praedicantur per se; quia quod per se inest, semper inest; haec autem non ab aeterno de Deo dicuntur; nec etiam per accidens, quia nullum accidens in Deo est; et praeterea, cum omne per accidens reducat ad aliquid per se, haec dicentur de aliquo alio per se; quod non invenitur: quia nihil aliud quam Deus dicitur creator, vel universitatis dominus. Ergo videtur quod ista nullo modo de Deo dicantur.

3. Si dicatur quod est praedicatio per causam; contra. Ubicumque est praedicatio per causam, potest resolvi praedicatio talis, et exponi per propositionem denotantem habitudinem causae; ut si dicatur, quod Deus est spes nostra potest exponi quod spes nostra est a Deo. Sed non potest dici quod creator sit a Deo. Ergo cum dicitur, Deus est creator, non est praedicatio per causam.

4. Praeterea, omne verum aut est necessarium aut contingens. Si igitur haec praedicantur de Deo vere; aut praedicantur necessario, aut contingenter. Sed non praedicantur necessario, quia non semper; nec etiam contingenter, quia in Deo nihil est contingens. Ergo videtur quod non possint de Deo praedicari.

Contra est totum quod in littera dicitur et ab Augustino et a Magistro, et usu loquentium, et secundum fidem, et secundum philosophiam.

Solutio. Respondeo dicendum, quod necesse est quod aliquid de Deo ex tempore dicatur. Cum enim omne esse cuiuslibet rei effluat ab ipso Deo, non solum universi, sed cuiuslibet partis eius, oportet quod ipse designetur in habitudine principii ad quodlibet eorum quae sunt; et cum multa eorum quae sunt non semper fuerint, etiamsi ponatur universum semper fuisse, quod quidam Philosophi errantes senserunt (ut colligitur 8 Phys., text. 4), oportet quod nomina designantia illam habitudinem

(1) *Al.* postquam non dicebatur.

non ab aeterno de Deo dicantur, sed ex tempore; quia relatio secundum actum, exigit duo extrema in actu existere; unde non potest referri ad creaturam ut actuale (1) principium creaturae, nisi creatura existente in actu; quod non semper fuit, sed ex tempore. Hoc autem non contingit de aliis quae absolute de Deo dicuntur, quod ex tempore dicantur de ipso; quia ea quae absolute dicuntur, secundum proprias rationes ponunt in eo aliquid in quo dicuntur, ut quantitas et qualitas et huiusmodi. Unde nihil horum invenitur quod non realiter sit in Deo, de quo vere et proprie dicitur; et propter hoc non possunt de aliquo ex tempore dici, nisi illud mutetur per susceptionem eius quod prius non habuit. Sed relatio secundum rationem suam non habet quod ponat aliquid in eo de quo dicitur; sed ponit tantum habitudinem ad aliud; unde invenitur aliqua relatio, ut supra, dist. 26, quaest. 2, art. 1. dictum est, non realiter existens in eo de quo dicitur; et ideo in talibus habitudines illae de novo dicuntur de aliquo, non per mutationem eius, sed illius ad quod dicitur; et ita est in omnibus quae de Deo ex tempore dicuntur.

Ad primum igitur dicendum, quod sicut huiusmodi habitudines non ponuntur realiter esse in Deo, sed secundum rationem tantum; ita etiam ex hoc quod de novo de Deo dicuntur, non sequitur quod in eo sit aliquid fieri secundum rem, sed secundum rationem tantum, sicut dicitur in Ps. 89, 1: *Domine refugium factus es nobis.* Tamen etsi concedatur secundum rationem aliquid, ut refugium vel huiusmodi, factus; nullo tamen modo dicendus est mutatus: quia mutatio imponitur (2) pro remotione eius a quo est motus, sed fieri pro adptione eius ad quod motus terminatur: a Deo autem nullo modo aliquid removetur, etsi adveniat habitudo aliqua secundum rationem; unde etsi dicatur fieri aliquid, non debet dici mutari in illud.

Ad secundum dicendum, quod, secundum Magistrum, ista praedicantur per accidens, non quod in Deo sint, sed quod in creaturis. Tamen intelligendum est, quod in istis nominibus est duo considerare; scilicet habitudines ipsas, et illud supra quod fundatur ratio habitudinis in Deo; sicut habitudo creationis habet pro fundamento in Deo virtutem divinam, cuius est dicere res in esse de nihilo. Si igitur consideratur hoc quod habent pro fundamento in re divina, constat quod per se dicuntur, et ab aeterno conveniunt quantum ad illud: quia essentia, virtus, operatio divina ab aeterno est. Si autem consideratur ipsa habitudo, tunc per accidens de Deo dicuntur quantum ad hoc. Accidens autem dupliciter dicitur: aut secundum quod nominat naturam accidentis conditum substantiae; et sic in Deo nihil est accidens; aut secundum quod nominat aliquid per aliud conveniens; sicut dicimus, quod album aedificat per accidens, quia adiungitur ei quod per se est causa aedificationis, scilicet aedificatori; et sic per accidens convenit Deo referri ad aliud extra se. Non enim dicitur relative, nisi quia aliud refertur ad ipsum; sicut dicit Philosophus (3 Metaph., text. 20), quia scibile est relativum, non quia ipsum refertur, sed quia aliud refertur ad ipsum. Nec tamen sequitur quod illa habitudo quae in Deo designatur, alteri conveniat per se, sed ma-

(1) *Al.* ut ad actuale.

(2) *Idest*, mutationis nomen imponitur.

gis respectus oppositus, quod est esse creaturam, vel esse servum, vel aliquid huiusmodi.

Ad tertium dicendum, quod non potest proprie dici praedicatio per causam; nisi forte intelligatur quod huiusmodi nomina praedicant habitudinem alicuius causae.

Ad quartum patet responsio per id quod ad secundum dictum est; quia eodem modo praedicantur necessario quo per se, et eodem modo contingenter quo per accidens; non tamen sequitur aliquid contingens in Deo esse.

ARTICULUS II.

Utrum quae dicuntur de Deo ex tempore, significant divinam essentiam.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod huiusmodi nomina quae de Deo dicuntur ex tempore, non significant divinam essentiam. Essentia enim divina est aeterna. Sed haec non dicuntur de Deo ab aeterno. Ergo non significant divinam essentiam.

2. Praeterea, Deus dicitur ex tempore patientia nostra et spes nostra, et huiusmodi. Sed huiusmodi, quia habent imperfectionem annexam, non possunt convenire divinae essentiae; sicut dicitur quod divina essentia est caritas, de cuius intellectu non est aliqua imperfectio. Ergo videtur quod non omnia quae de Deo dicuntur ex tempore, significant divinam essentiam.

3. Praeterea, divina essentia est communis tribus personis. Sed quaedam dicuntur de Deo ex tempore quae non conveniunt tribus personis, ut missus, donatus, et huiusmodi. Ergo non omnia significant divinam essentiam.

4. Item, Deus ex tempore dicitur homo. Sed homo significat humanam naturam; quae in incarnatione non est admixta divinae naturae, sed remansit ab ea distans. Ergo videtur quod ea quae dicuntur ex tempore, non significant divinam essentiam.

Contra est quod Magistri dicunt, quod omne nomen connotans effectum in creatura, significat divinam essentiam. Sed ea quae ex tempore de Deo dicuntur, dicuntur in respectu ad creaturam, ut dictum est. Ergo significant divinam essentiam.

Praeterea, Dionysius dicit (2 cap. de divin. Nom.), quod omnem beneficam Dei nominationem, de quacumque divinarum personarum dicitur, in tota Deitate oportet in observantiam (1) accipi. Sed omnia quae dicuntur habitudinem ad creaturam, nominant aliquid beneficium in creaturis. Ergo ad totam Trinitatem pertinent sine distinctione; et sic idem quod prius.

Solutio. Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est, art. 1 istius quaest., nihil ex tempore de Deo dicitur nisi quod importat habitudinem ad creaturam. Habitudo autem Dei ad creaturam potest designari dupliciter: vel secundum quod creatura refertur in ipsum sicut in principium; vel secundum quod creatura refertur in ipsum ut in terminum. Si primo modo, hoc contingit dupliciter: aut enim propria praedicatione praedicatur aliquid de Deo ex tempore, quod designat habitudinem principii

(1) *Nicola* sine observantia: forte inobservanter.

ad principium; aut aliquid quod designat ipsum principium a Deo, sicut quando est praedicatio per causam, ut cum dicitur, Deus est spes nostra. Si primo modo, hoc contingit dupliciter: aliquando enim nomen imponitur ad significandum ipsam habitudinem; sicut hoc nomen *dominus*, et huiusmodi, quae sunt relativa secundum esse, et alia dicta de Deo, sunt quidem relativa, quia etiam significant ex primo suo intellectu habitudinem quae secundum rationem est in Deo; sed ex consequenti faciunt intellectum essentiae, secundum quod talis habitudo fundatur in aliquo essentiali. Aliquando autem nomen imponitur ad significandum illud supra quod fundatur habitudo, sicut hoc nomen *scientia*, (1) qualitatem, quam consequitur respectus quidam ad scibile. Unde ista talia non sunt relativa secundum esse; sed solum secundum dici. Unde ista principaliter dant intelligere rem alterius praedicamenti, et ex consequenti important relationem. Ita etiam in divinis: ut patet in hoc nomine *Creator*, quod imponitur ad significandum divinam actionem, quae est ipsius essentiae, quam consequitur habitudo quaedam ad creaturam; et ista principaliter essentiam significant, et ex consequenti important respectum ad creaturam. Et similis ratio est in illis in quibus est praedicatio per causam; quia tales locutiones resolvuntur in habitudines causae, ut cum dicitur: Deus est patientia nostra, id est causa patientiae nostrae; et in omnibus istis quae dicuntur de Deo ex tempore, et important habitudinem principii ad principium, verum est quod conveniunt toti Trinitati. Si autem consideretur relatio creaturae ad Creatorem ut ad terminum, possibile est quod talis relatio creaturae sit ad aliquid essentialia, vel ad aliquid personale. Contingit autem hoc tripliciter. Aut secundum operationem, sicut aliquis potest intelligere vel nominare Deum vel paternitatem. Vel secundum exemplaritatem, sicut in creatione rerum est terminatio in similitudinem essentialium attributorum, et in infusione caritatis est terminatio in similitudinem processionis personalis Spiritus sancti. Vel est terminatio secundum esse; et iste modus est singularis in incarnatione, per quam humana natura assumpta est ad esse et unitatem divinae personae, non autem ad unitatem divinae naturae. Sed ista relatio qua creatura refertur in Deum ut ad terminum, includit ex consequenti in se relationem quae est ad Deum ut ad principium. Unde in omnibus quae dicuntur de Deo secundum habitudinem ad creaturam, ex eo quod creatura refertur in ipsum ut terminum, considerandum est quod quantum ad habitudinem termini, possunt tantum convenire personae: sed ratio principii, quae ibi includitur, ex consequenti convenit toti Trinitati. Unde secundum habitudinem unam possunt facere intellectum personae, et secundum aliam faciunt intellectum essentiae; sicut patet, cum dicitur incarnatus, hoc tantum Filio competit, quia ad solam personam Filii incarnatio terminata est, quam tamen tota Trinitas fecit.

Ad primum igitur dicendum, quod huiusmodi nomina conveniunt Deo ex tempore, ratione habitudinis importatae vel principaliter vel ex consequenti. Principaliter, ut cum dicitur Deus; ex consequenti, ut cum dicitur Creator; et illa habitudo

(1) *Supple* significat, quidpiam simile.

non est in divina essentia, nec aliqua res in Deo; sed secundum essentiam, in qua fundatur talis habitudo, huiusmodi conveniunt Deo ab aeterno, quasi habitualiter.

Ad secundum dicendum, quod essentia Dei non est patientia vel spes; nec hoc significatur, cum dicitur, Deus est spes nostra; sed significatur circa divinam essentiam habitudo causae respectu talis effectus in nobis. Unde simile est de his, et de aliis.

Ad tertium dicendum, quod *missus, incarnatus* et huiusmodi important duas habitudines, scilicet termini et principii: quarum una, scilicet habitudo principii, convenit toti Trinitati; unde dicimus, quod tota Trinitas mittit vel facit incarnationem; sed altera convenit alicui personae determinatae, propter quod huiusmodi nomina non de tota Trinitate dicuntur.

Ad quartum dicendum, quod Deus dicitur esse homo, in quantum suppositum divinae naturae, scilicet Filii, subsistit in humana natura per unionem. Haec autem unio, relatio quaedam est, realiter in creatura assumpta existens; quae quidem considerata secundum habitudinem ad terminum, sic terminatur ad personam Filii, in qua est facta unio; sed secundum habitudinem ad principium, sic refertur ad totam Trinitatem, quae unionem fecit.

ARTICULUS III.

Utrum habitudines designatae in nominibus dictis de Deo ex tempore, sint realiter in Deo. — (De pot. qu. 7, art. 10.)

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod habitudines designatae in istis nominibus, realiter in Deo sint. Nomen enim et ratio cui non subest aliquid in re, est vana vel falsa. Sed non vane et falso dicimus et cogitamus Deum dominum et creatorem. Ergo huiusmodi nomina habent relationes quas significant, respondentes sibi realiter in Deo.

2. Praeterea, illud quod est secundum rationem tantum, cessante intellectu ratiocinante non remanet. Sed si nullus esset ratiocinans, adhuc Deus esset dominus et creator. Ergo huiusmodi nomina significant aliquid realiter in Deo existens, et non secundum rationem tantum.

3. Item, omni relationi respondet suum correlativum, quod sibi opponitur. Sed cum dicimus creaturam servire, importatur aliqua relatio in creatura realiter existens. Ergo oportet oppositam relationem alicui ponere. Sed non est in creatura, quia tunc creatura esset domina sui ipsius, et creator sui ipsius; et oppositi respectus essent in eodem. Ergo oportet quod in Deo realiter ponatur oppositi respectus relationibus creaturae ad Deum.

4. Praeterea, illa relatio in quibus non est relatio secundum rem, invenimus esse ad aliquid secundum dici tantum, sicut scibile, de quo dicit Philosophus (3 Metaph., text. 20), quod est reatum quia aliud refertur ad ipsum. Sed de Deo dicuntur quaedam relativa quae sunt ad aliquid et secundum suum esse, ut dominus, rex, et huiusmodi. Ergo saltem illa aliquam relationem realem in Deo significant.

Contra, in Deo nihil est nisi aeternum; quia quidquid est in Deo, Deus est. Sed huiusmodi habitudines non sunt aeternae; propter quod nec no-

mina earum ab aeterno de Deo dicuntur. Ergo non sunt realiter in Deo.

Solutio. Respondeo dicendum, quod secundum theologos et philosophos verum est communiter, quod relationes quibus Deus ad creaturam refertur, non sunt in Deo secundum rem, sed secundum rationem tantum; quia intellectus noster non potest accipere aliquid relative ad alterum dici, nisi ipsum sub opposita habitudine intelligat.

Sciendum tamen est, quod ratio in intellectu rerum tripliciter se habet. Quandoque enim apprehendit aliquid quod est in re secundum quod apprehenditur, ut quando apprehenditur forma lapidis. Quandoque vero apprehendit aliquid quod nullo modo in re est, ut quando quis imaginatur chimaeram, vel aliquid huiusmodi. Aliquando autem apprehendit aliquid cui subest in re natura quaedam, non tamen secundum rationem qua apprehenditur; sicut patet quando apprehendit intentionem generis substantiae, quae in re est natura quaedam non determinata secundum se ad hanc vel ad illam speciem; et huic naturae apprehensa, secundum modum quo est in intellectu apprehendente, qui ex omnibus accipit unum quid commune in quibus invenitur natura illa, attribuit rationem generis, quae quidem ratio non est in re. Ita etiam est in huiusmodi relationibus, quas intellectus noster attribuit Deo. Invenit enim in ipso virtutem et essentiam et operationem, quae creatura producitur in ipsum relationem habens; et ideo essentiae illi vel operationi habitudinem attribuit, et secundum quod intelligit, nomina relativa imponit.

Unde patet responsio ad primum: quia intellectus noster neque cassus neque vanus est, quia habet aliquid respondens in re, quamvis non secundum modum quo est in ratione; sicut etiam intellectus mathematicorum non est falsus neque vanus est, quamvis nulla linea sit abstracta a materia in re, sicut ipsi considerant. Unde dicit Philosophus (2 Physic., text. 18): *Abstrahentium non est mendacium.*

Ad secundum dicendum, quod etiamsi nullus intellectus esset, adhuc in Deo esset; unde vere dominus et dici et intelligi posset, scilicet potentia coercendi subditos; sed non decretur vel intelligeretur Dominus secundum actum.

Ad tertium dicendum, quod relativorum invenitur triplex diversitas. Quaedam sunt quorum utrumque importat relationem non in re existentem sed in ratione tantum; sicut quando ens refertur ad non ens, vel relatio ad relationem, vel aliquid huiusmodi, ut supra, dist. 26, qu. 2, art. 1, dictum est. Quaedam vero quorum alterum importat relationem realem, et alterum relationem rationis tantum, sicut scientia et scibile. Et huiusmodi diversitatis ratio est, quia illud supra quod fundatur relatio, quandoque invenitur in altero tantum, et quandoque in utroque; ut patet quod relatio scientiae ad scibile fundatur supra apprehensionem secundum esse spirituale: Hoc autem esse spirituale in quo fundatur relatio scientiae, est tantum in sciente et non in scibili, quia ibi est forma rei secundum esse naturale; et ideo relatio realis est in scientia, non est in scibili. E contrario est de amante et amato; quia relatio amoris fundatur super appetitum boni; bonum autem non est aliquid existens tantum in anima, sed etiam in rebus. Unde dicit Philosophus (6 Metaph., text. 2), quod bo-

num et malum sunt in rebus; verum et falsum in anima; et ideo dicit Avicenna (tract. 3 Metaph., cap. 10), quod in amante et amato, in utroque relativorum est invenire dispositionem per quam refertur ad alterum; non in sciente et scibili; et ideo utrobique relatio realis est; sic etiam aequalitas, quae immediate fundatur supra quantitatem, quae in utroque est. Et quia omnes relationes creaturae ad Deum fundantur supra modum quo accipiuntur a Deo, qui in Deo non est, quia non consequuntur perfectum modum secundum quem Deus in eis operatur; ideo relationibus quae sunt in creatura, non respondet aliqua relatio in Deo realiter; sed relationi quam Filius accipit a Patre, respondet aliqua relatio in Patre; quia secundum unum et eundem modum et eandem rationem Pater dat, et Filius accipit naturam divinam.

Ad quartum dicendum, quod illud non facit ad propositum; quia de utrisque relativis invenitur aliqua quae importat relationem realem, et quae importat relationem rationis; sicut *idem* importat relationem rationis, quamvis sit relativum secundum esse; et scientia importat relationem realem, quamvis sit relativum secundum dici.

Expositio textus.

Ad quod dicitur potest, quod licet non coeperit ex tempore dominus esse temporis, coepit tamen esse dominus temporis. Intentio solutionis est, quod Deus coepit esse dominus temporis quando coepit esse tempus; unde sicut tempus non coepit esse in tempore vel ex tempore; ita nec Deus dicitur dominus temporis ex tempore vel in tempore. Et dicit: *In tempore, ut designet habitudinem mensurae;* quia sicut locatum est in loco ut in mensuratione, ita et in tempore. *Ex tempore* vero dicit, in quantum tempus est mensura includens suum mensu-

rum; unde oportet quod ad utramque partem excedat; et ideo quae semper sunt, in quantum semper sunt, non mensurantur tempore, sed quae quandoque sunt, ut dicit Philosophus (4 Physic., text. 114). Et ideo quae mensurantur tempore, sunt ex tempore, quia tempus praecedit ipsa. Tempus autem non mensuratur tempore, sicut nec locus loco; et ideo tempus nec in tempore incipit nec ex tempore; sed aliorum quae incipiunt in tempore vel ex tempore, est Deus dominus in tempore vel ex tempore; et aliqua talia sunt, sicut hoc et illud generatum; quamvis etiam universum semper fuisset, ut quidam philosophi (1) posuerunt. Unde hoc quaerere non pertinet ad propositum, quia utrumlibet verum sit, habetur propositum, quod Deus est dominus ex tempore, ad minus aliquorum.

Hic potest solvi quaestio superius proposita: Magister hanc questionem moverat, distinct. 15, et solvit hic per ea quae dicta sunt, quia huiusmodi nomina quae dicuntur de Deo ex tempore, important relationes non reales in Deo existentes, sed secundum rationem et nomen. Et ideo cum Spiritus sanctus dicitur dari a se, in creatura est relatio realis quae refertur ad totam Trinitatem ut ad principium, et ad Spiritum sanctum ut ad terminum, per modum exemplaritatis; sed in Spiritu sancto non est relatio nisi secundum rationem; et non est inconveniens quod tali ratione aliquid ad seipsum referatur, ut cum dicitur idem eidem idem.

(1) *Ad marginem edit. Venetae, an. 1805.* De Aristotele intelligere videtur, 8 Physic., text. 4. *Addit Nicolai in notis:* Pata Socrates et Plato, et utriusque sectatores, qui materiam ex qua mundus factus est, Deo coaequam astruxerunt, ut lib. 3 haereticarum Fabularum, cap. 4, et init. 3, Theodoros insinuat; quoniam Aristoteles ea mens plane fuit quod aeternus fuerit mundus, ut videre est lib. 8 Physic., cap. 1, ubi ex professo id probat, ac lib. 1 et 2 de caelo idem plane concludit.

DISTINCTIO XXXI.

Quomodo dicatur Filius aequalis Patri, an secundum substantiam, an secundum rationem; ita et similis.

Praeterea considerari oportet, cum tres personae coaequales sibi sint, utrum relative hoc dicatur, an secundum substantiam; et si relative, utrum secundum relationem, an secundum essentiam, consideranda sit aequalitas: deinde quid sit ipsa aequalitas. Ad quod dicimus, quia sicut simile nihil sibi est (similitudo enim, ut ait Hilarius (lib. de Synodis in princ.) sibi ipsi non est) ita et aequale aliquid sibi non dicitur; ac per hoc sicut simile, ita et aequale relative dicitur. Dicitur ergo relative Filius aequalis Patri, et utriusque Spiritus sanctus, propter summam simplicitatem essentiae et unitatem. Aequalis est ergo Filius Patri secundum substantiam et non secundum relationem. Unde Augustinus (in 3 lib. de Trin., cap. 6) ait: « Querimus, secundum quid aequalis sit Patri » Filius. Non secundum hoc quod ad Patrem dicitur Filius, » aequalis est Patri. Restat ergo ut secundum id aequalis sit » quod ad se dicitur. Quiddam autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur. Restat ergo ut secundum substantiam sit aequalis. Eadem ergo est utriusque substantia. » Item (in lib. 6, cap. 4): « Satis est videre, nullo modo Filium » aequalem esse Patri, si in aliquo, scilicet quod pertineat ad » significandum ejus substantiam, inaequalis invenitur. In » omnibus ergo aequalis est Patri Filius, et est ejusdem substantiae. Aequalis est etiam Spiritus sanctus, et in omnibus » aequalis, propter summam simplicitatem illius substantiae. » Ex his perspicuum fit quod secundum substantiam Filius est aequalis Patri, et utriusque Spiritus sanctus, et appellatio tantum relativa est. Aequalitas ergo Patris et Filii non est relatio, vel notio, sed naturalis unitas et identitas.

Hic quomodo dicatur similis, et quid sit similitudo.

Hoc idem etiam dicimus de simili et similitudine. Cum enim dicitur Filius similis Patri, relative quidem dicitur, sed similis est Patri propter similitudinem essentiae. Est ergo appellatio tantum relativa; similitudo vero est indifferentis essentiae. Unde quibusdam non indote videtur, nomine aequalitatis vel similitudinis, non aliquid poni, sed removeri; ut ea ratione dicatur Filius aequalis Patri, quia nec major est eo nec minor; et hoc propter unitatem essentiae: ita et similis dicitur quia nec diversus nec alienus nec in aliquo dissimilis; et hoc propter essentiae simplicitatem. Non ergo secundum quod Filius est genitus a Patre, aequalis vel inaequalis est Patri, nec similis vel dissimilis; sed aequalis et similis secundum substantiam.

De sententia sancti Hilarii, qua in Trinitate personarum propria ostendit.

Non est igitur hic praetermittendum, quod vir illustris Hilarius proprietates personarum assignans (2 de Trin., in princ.) dicit, in Patre esse aeternitatem, speciem in imagine, usum in munere. Quae tamen difficultatis sunt verba, ut in eorum intelligentia atque explanatione vehementer laboraverit Augustinus, ut ipse ostendit (in lib. 6 de Trin., cap. 10), ita dicens: « Quia cum vellet brevissime singularum in » Trinitate personarum insinuare propria: Aeternitas est, » inquit, in Patre, species in imagine, usus in munere. Et » quia non medicis auctoritatis in tractatione Scripturarum » et assertionem fidei, vir extitit, haec enim Hilarius in libris » suis posuit) horum verborum, id est Patris et imaginis et